



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

**Parisiis, 1644**

Epistola I. Gelasii Papae II. Ad Gallos. Mandat vt se contra Mauritium  
Bracarensem episcopum, ab Henrico imperatore in sedem intrusum  
pseudopapam, arment.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15588**

EPISTOLA I.  
GELASII PAPÆ II.  
AD GALLOS.

Mandat ut se contra Mauritium Bracarensem episcopum, ab Henrico imperatore in sedem intrusum pseudopapam, arment.

*Gelasius seruus seruorum Dei archiepiscopis, episcopis, abbatibus, clericis, principibus, & ceteris per Galliam fidelibus salutem.*

Villelm.  
Malmesb.  
reg. Ang.  
lib. 5.

**Q**VIA VOS Romanæ ecclesiæ membra estis, quæ in ea nuper acta sunt dilectioni vestræ significare curamus. Siquidem post electionem nostram dominus imperator furtive & inopinata velocitate Romam veniens, nos egredi compulit. Pacem postea & minis & terroribus postulauit, dicens quæ posset se facturum, nisi nos ei iuramento pacis certitudinem faceremus. Ad quæ nos ista respondimus: De controuersia quæ inter ecclesiam & regnum est, vel conuentioni, vel iustitia libenter acquiescimus, loco & tempore competenti, videlicet Mediolani, vel Cremonæ in proxima beati Lucæ festiuitate, fratum nostrorum iudicio, qui a Deo sunt iudices constituti in ecclesia, & sine quibus hæc tractari non potest. Et quoniam dominus imperator a nobis securitatem querit, nos verbo & scripto eam promittimus, nisi ipse eam interim impedit; alias enim securitatem facere, nec honestas ecclesiæ, nec consuetudo est. Ille statim die post electionem nostram quadragesimoquarto Mauritium Bracarensem episcopum, anno præterito a domino prædecessore nostro Paschali papa in Concilio Beneuenti excommunicatum, in matris ecclesiæ gremium ingerit. Qui etiam cum per nostras olim manus pallium accepisset, eidem domino nostro, & catholicis successoribus, quorum primus ego sum, fidelitatem iurauit.

In hoc autem tanto facinore nullum de <sup>†</sup> Romanis dominus imperator, Deo gratias, socium habuit: sed Guibertini soli, Romanus de sancto Marcello, Cencius, qui dice-

<sup>†</sup> Per Romanos intellige catholicos:  
per Guili-

<sup>\* forte Latium.</sup> dicebatur de sancto Chrysogono , Teuto qui multo per <sup>bertinos,</sup>  
 \* Daciam debacchatus est tempore, tam infamem gloriam <sup>schismati-</sup>  
 celebrarunt. Vestrae igitur experientiae, literarum præsen-  
 tium perceptione mandamus , vt super his per Dei gra-  
 tiam communi deliberatione tractantes , ad matris ec-  
 clesiae vltionem communibus , præstante Deo , auxiliis,  
 sicut oportere cognoscitis , accingamini. Datum Caietæ  
 decimo septimo Kalendas Februarii.

## E P I S T O L A II.

## G E L A S I I P A P Æ II.

A D B E R N A R D V M T O L E T A N V M E P I S C O P V M  
 H I S P A N I A E P R I M A T E M.

De Mauritio in sedem intruso.

*Gelasius episcopus seruus seruorum Dei venerabili fratri Bernardo archiepiscopo Toletano & Hispaniarum primati salutem & apostolicam benedictionem.*

**N**ON latere credimus fraternitatem tuam , qualiter  
 frater quondam Mauritius Bracarensis episcopus se  
 iamdiu habuerit, qualiter ecclesiam suam dimiserit , &  
 quomodo regi excommunicato adhæserit, & contra sta-  
 tuta canonica in cubile Romanæ ecclesiae se ingesserit.  
 Nec eum miramur debitam tibi obedientiam & anti-  
 quum primatus honorem ecclesiae tuæ penitus denegasse,  
 qui Romanam ecclesiam, quæ omnium ecclesiarum ma-  
 ter est & magistra, non solum negare , sed destruere quo-  
 dammodo conatur , &c. Monemus itaque atque præci-  
 pimus , vt iuxta mandatum prædecessoris nostri ad ele-  
 ctionem in Bracarensi ecclesia faciendam solitudine  
 caritatis debitæ operam & opem præbeas cum effectu.  
 Ipsum vero Mauritium excommunicatum & periurum,  
 & matris ecclesiae constupratorum publicum ceteris Hi-  
 spaniarum prælatis, &c. Data Caietæ, &c.